Synopsis iuris canonici, et bullarum Summorum Pontificum, decretorum Sacrorum Conciliorum etc. collecta a. 1672.

SYNOPSIS

Iuris Canonici, & Bullarum Summorum Pontificum, Decretorum Sacrorum Conciliorum, & Constitutionum Prouincialiũ, Statutorum Regni, & Diplomatum Serenissimorum Regum Poloniæ, ad eum effectum, vt duntaxat Professi Regulares, in Abbates Monasteriorum eligantur, latorum, & in fauorem S. Ordinis Cisterciensis indultorum, & practicatorũ; ex authenticis libris, & patentibus originalibus Scripturis, collecta.

Anno Domini 1672.

In Nomine Domini Amen.

QVoniam alijs prolixitas Iurium, & Rescriptorum Apostolicorum displicet, alijs obscuritas Styli, & ambiguitas Iuris oritur, alijs copia librorum, & Scripturarum authenticarum præstò ad manus non est; tum quia authos difficultas, aut alios incommoditas legendi impedit: igitur, vt quisque eò faciliùs, de eisdem Iuribus pro S. Ordine Cisterciensi, super libera Electione Professorum Regularium, in Abbates Monasteriorum, sancitis, informetur, præsens Synopsis seu compendiosa Collectio de ijsdem Priuilegijs edoceri volenti breuiorem & clariorem viam demonstrat.

Ex Iure Canonico.

Nemo est eligibilis in Abbatem, qui non est Professus Regularis.

COnstat Primò. Quia Celestinus III. in Capitulo *Cùm causam.* Libro primo Decretalium, titulo 6. de Electione, cassat electionem non Professi, ad regimen Ecclesiæ Regularis assumpti;

vt oſtenditur ſequentibus Verbis. *Quamuis autem multi Priores continuè vnus poſt alium, in ipſa Eccleſia per multa & longa tempora fuerint non Profeſsi: quia tamen præfatus Presbyter Bonus non eſt profeſſus obſeruantiam Regularem, dubitatis (& meritò) nobis procedere non conſultis &c.* Et infra. *Conſultationi Veſtræ taliter reſpondemus: Quòd cùm ſecundùm legem Diuinam, non ſit in boue arandum & aſino; nec quisquam debeat veſtem induere de lana linoq; contextam: irritetis Electionem prædictam, & compellatis præfatum Presbyterum aliosquè Clericos non profeſſos, vt regulam profiteantur, & ſeruent, aut ipſam Eccleſiam dimittant.*

Secundò. Idem Celeſtinus III. lib. citato in Capitulo, *Cùm ad noſtram.* irritat Electiones Prælatorum non Monachorum, vt oſtendunt ſequentia Verba tenoris ſequentis. *Cùm ad noſtram notitiam perueniſſet, quòd, qui ſe pro Abbate Lexouienſi gerebat, non fuit ante Monachus, quàm Electus: Nos attendentes, quòd contra Regulares traditiones illud fuerat attentatum: cùm nullam ſpem, vel promiſsionem habens, vt Abbas fiat, debeat monachari: electionem de ipſo factam curauimus irritare.*

Tertiò, Memoratus Celeſtinus III. Papa, loco citato, in Capitulo *Officij tui.* ſtatuit, quòd in Abbatem eligi non poſſit, niſi inſtructus in Regula Monachali. Cuius Capituli eſſentialia Verba hæc ſunt. *Nos autem Conſultationi tuæ, taliter reſpondemus; quòd, cùm ex his, quæ in continenti ſubſecuta ſunt, oſtendatur, quòd talis taliter non poſsit eligi in Abbatem, maximè pro eo quòd antequam eſſet diſcipulus, voluit eſſe Magiſter: Electionem illam irritam eſſe decreuimus, & inanem. Verùm poſtquam fuerit in Regula competenter inſtructus, poterit in Abbatem aſſumi.*

Quartò. Gregorius IX. Capitulo *Cùm in Magiſtrum.* loco citato, conſulendo indemnitati Regularis diſciplinæ, præcipit iuxta tenorem huiusmodi. *Mandamus, quatenus cùm tales Abbates eſſe non debeant, qui per profeſsionem, Monachi & Regulares Canonici non fuerint, ad amotionem eorum, quos tales inueneris (ſublato appellationis impedimento) procedas.* Ratio ibidem aſsignatur hæc. *Cùm in Magiſtrum aſſumi non debeat, qui formam diſcipuli non aſſumpſit: nec ſit præficiendus qui ſubeſſe non nouit.*

Quintò. Clemens V. libro 1. Clementinarum, titulo tertio de Electio-

Electione, Capitulo 1. diſponit non poſſe eligi Religioſum ad Prælaturam alterius Religionis, vbi ſic dicitur. *Cùm rationi non congruat, vt homines diſparis profeſsionis vel habitûs, ſimul in iisdem monaſteriis ſocientur: prohibemus, nè Religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitûs de cætero eligatur. Quodſi ſecus actum exſtiterit, ſit eo ipſo irritum, & inane.*

Sextò. Bonifacius VIII. libro 1. Sexti Decretalium, de Electione, Capitulo 28. declarauit, talem Monachum, qui non ſit expreſsè Profeſſus, non poſſe eligi in Abbatem. Cuius declarationis tenor ſequitur talis. *Nullus Religioſus ad Abbatiam, ſeu Prælaturam ſuæ vel alterius Religionis de cætero eligatur, niſi antea fuerit Ordinem Regularem expreſsè profeſſus: Quòdſi ſecus actum fuerit, eo ipſo irritum habeatur.*

Septimò. Clemens V. in Extrauagantibus communibus lib. 3. tit. 2. de Præbendis, ſua Conſtitutione, quæ incipit. *Ex ſuperna prouidentia Maieſtatis*, declarauit, non debere commendari Monaſteria, perſonis non profeſsis: ibidemq; caſſat omnes Prouiſiones, ſub titulo Commendæ factas de Monaſterijs, idq; ex rationibus, vt patet ex ſubinſertis verbis tenoris ſequentis. *demumq́, proſpeximus euidenter, quòd Eccleſiarum & Monaſteriorum eorundem cura negligitur, bona & Iura diſsipantur ipſorum, ac ſubiectis eis perſonis, & populis ſpiritualiter plurimùm & temporaliter derogatur, eisq́, redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum, ac nedum ipſis, ſed etiam Romanæ Matri Eccleſiæ (quæ diſponente Domino ipſorum caput fore dignoſcitur & Magiſtra) grauiora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur his & tot, & tantis diſpendiis vlteriùs cauſam relinquere, ſed volentes potiùs opportunum, & debitum in hac parte remedium adhibere, omnes, & ſingulas promisſiones huiusmodi per nos vt (præmittitur) factas quibuscunque, cuiuscunque Ordinis, dignitatis, aut ſtatûs, ſed etiam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quocunque modo, vel tempore facta noſcantur, authoritate Apoſtolica exnunc, ex certa ſcientia reuocamus, & annullamus, & decernimus de cætero non habere aliquam roboris firmitatem.*

Electio-

Electiones Prælatorum Regularium debent esse liberæ.

Constat Primò. Quia Celestinus III. Papa, lib. 1. Decretalium, titulo de Electione, in Capitulo, quod incipit, *Quisquis Electioni* &c. statuit, vt Electiones Prælatorum Regularium sint in libertate Eligentium. Cuius Capituli verba hîc inseruntur tenoris sequentis. *Quisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumpserit, contra Canonicam libertatem: & Electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Qui verò electionem huiusmodi, quam ipso iure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare, ab Officiis & beneficiis penitùs suspendantur per triennium, Eligentium potestate priuati.*

Secundò. Lucius Papa, Capitulo *Nullus.* lib. & titulo citato, cassat Electiones talium, qui per cupiditatem Ecclesias acquirunt, prout ostenditur his verbis. *Si verò aliter quis Ecclesiam adeptus fuerit, eò quòd per cupiditatem illam acquisierit, atque contra Canonicæ Regulæ disciplinam egerit, expellatur.*

Tertiò. S. Pater Benedictus in sua Regula disponens, innuit Abbatem à Monachorum Congregatione liberè eligendum esse, vt videre est in 64. Capite Regulæ, in principio, vbi de Abbatum Electione ait. *In Abbatis ordinatione, illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio, secundùm timorem Dei, siue etiam pars quamuis parua Congregationis saniori consilio elegerit.*

Quartò. Probatur testimonio Conradi Imperatoris, vt patet in Chronico Cassinensi Cap. 66. Hic pius Imperator cùm Anno 1038. transmissis Alpibus in Italiam venisset, adiit S. Benedicti Cœnobium Cassinense, vbi à Monachis exoratus, vt eis Abbatem constitueret, negauit suum esse, dicens. *Vos vnum ex vestris eligite.* Monachis autem replicantibus se non habere idoneum; Imperator nihilominus persistens in priori sua sententia respondit. *Nequaquam, sed de Congregatione præcipuè idoneum Abbatem vobis eligite,* sunt verba eiusdem Imperatoris.

Ex Bul-

Ex Bullis Summorum Pontificum.

Soli Regulares Professi sunt eligendi in Abbates Monasteriorum Ordinis Cisterciensis.

DEducitur Primò. Quia Sanctissimus Dominus Eugenius III. de Anno 1152. Calen: Augusti, per legem expressam, manu propria, cum sexdecem Cardinalibus subscriptam, hoc statuit. Exstat Constitutio illius in Monologio Cistercien. fol. 53. vbi in Bulla, quæ incipit. *Sacrosancta Romana Ecclesia &c.* enuntiatur verbis infra scriptis. *Personam autem de alio Ordine nulla Ecclesiarum vestrarum sibi eligat in Pastorem, sicut nec vestri Ordinis aliquam Monasterius alius statuistis ordinari posse Abbatem.*

Hanc Bullam Eugenii, specialiter S. Ordini indultam in toto successiuè Summi Pontifices approbarunt. quorum nomina sequuntur suo ordine, videlicet.

Anastasius IV. Anno 1153. quinto Idus Decembris. Adrianus IV. Alexander III. Et Ioannes XXIII. de Anno 1415. Sexto Calendas Februarii.

Secundò. Leo X. Papa edidit Bullam, quæ incipit. *Ex superna dispositionis arbitrio* &c. de Anno 1514. quæ Bulla apud Laertium Herubinum, in Bullario Tomo 1. Pagina 475. inserta, continet hæc infra scripta verba. *Et quoniam ex Commendis Monasteriorum (vt magistra rerum experientia sæpiùs docuit) monasteria ipsa tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus grauiter læduntur, quippe quorum ædificia partim Commendatariorũ negligentiâ, partim auaritiâ vel incuriâ collabuntur, & in dies Diuinus cultus in his magis diminuitur, passimq; oblinquendi materia personis præsertim sæcularibus præbetur, non absque dignitatis Apostolicæ Sedis diminutione, à qua Commendæ huiusmodi proficiscuntur, vt eorum indemnitati salubriùs consulatur, volumus, ac sancimus vt cùm illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacauerint, nullo pacto cuipiam possint commendari.*

Tertiò. Ioannes XXIII. sua Constitutione Apostolica, quæ incipit. *Ad salutare regimen.* de Anno 1415. Septimo Calendas Februarii, emanatâ ordinauit, vt Professi eligantur in Abbates Mona-

ſteriorum Ciſtercienſium; vt patet ex Verbis ſequentibus, ſub huius modi tenore. *Hac præſenti Conſtitutione perpetuò duratura, & authoritate Apoſtolica decernimus. Statuentes, quòd de cætero in præfato Ordine Ciſtercienſi, aut eius membris, nullus, qui de dicto Ordine non exiſtat, cuiuscunque alterius Religionis, Ordinis, ſtatûs, dignitatis, aut praeminentiæ fuerit, etiamſi Cardinalatûs dignitate præfulgeret, Apoſtolica, vel alia quauis authoritate poſsit vel debeat præſidentiam, gubernationem, adminiſtrationem, aut praeminentiam aliquam, per ſe, vel alios directè, vel indirectè, aut quouis quæſito colore, quomodolibet impetrare, obtinere, regere, adminiſtrare, vel gubernare quomodocunque, aut qualitercunque. Decernentes exnunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, & quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter, contigerit in poſterum attentari.*

Hanc Bullam ſucceſſiuè approbarunt vniformiter, videlicet Nicolaus V. Papa Anno 1454. tertio Nonas Octobris. Quæ approbatio exſtat in Monologio Ciſtercienſi fol. 125. Et Pius II. de Anno 1459. Septimo Calendas Auguſti; vt conſtat ex Monologio citato fol. 134.

Quartò. Eugènius IV. Bullam, *Meditatio cordis noſtri.* de Anno 1438. Idibus Decembris, vt continetur in Monologio Ciſtercien. fol. 119. in fauorem Ordinis Ciſtercien: edidit, ad eum effectum, vt nulla perſona ad Monaſteria Ciſtercienſia promoueatur, aut admitti valeat, niſi priùs per integrum Annum probationem fecerit, & profeſſionem Regularem emiſerit, vt oſtendunt ſequentia verba Bullæ eiusdem. *Nos igitur qui Religioſarum perſonarum quietem, & piorum locorum conſeruationem, augmentum, & pacem procurari, & propagari, intenſis deſideriis affectamus, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, hac perpetua ſanctione ſtatuimus, & etiam ordinamus. Quòd de cætero ad Monaſteria, ſiuè dignitates Abbatiales dicti Ordinis nulli eligantur, ſeu etiam promoueantur, aut in Abbates præficiantur, ſeu ad illa, vel illas per Conuentus, & alios dicti Ordinis Superiores admitti valeant, & admittantur; niſi primò ſaltem per integrum Annum in dicto Ordine probati fuerint, & in eo profeſsionem, per Monachos eiusdem Ordinis emitti ſolitam, emiſerint Regularem &c. decernentes quorumcunque*

Electi-

Electiones siue Prouisiones, aut Promotiones quomodocunque &
qualitercunque, ac quauis authoritate factas, irritas & inanes, nul-
liusquè existere roboris, vel momenti; Constitutionibus & ordinatio-
nibus Apostolicis. caterisq; contrariis non obstantibus quibuscunque.

Quintò. Sixtus IV. Anno 1475. Idibus Martii, in sua Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex &c.* animaduertens magna damna & ruinas ex administratione Commendatariorum prouenire, statuit, vt Commissarii, & Conuentus, quascunque personas eiusdem Ordinis Cistercien. in Abbates liberè & Canonicè eligant; vt apparet ex sequenti textu eiusdem Bullæ, cuius Verba hæc sunt. *Liceat dictis Patribus Abbatibus, Commissariis, & Conuentibus, quascunque idoneas personas eiusdem Ordinis, in eorum & dictorum Monasteriorum Abbates liberè, & sine difficultate aliqua canonicè eligere, seu etiam postulare, aut etiam promouere &c. Decernentes etiam, & eadem authoritate declarantes, exnunc, prout extunc, & extunc prout exnunc, Monasteria ipsa, & loca sub quibusuis gratiis, expectatiuis, vel aliis de primò vacaturis Beneficiis, seu Monasterijs, aut specialibus vel generalibus reseruationibus; & de sic vacaturis, cùm vacabant, conferendi, seu commendandi mandatis & nominationibus seu nominandi, & conferendi, vel commendandi Benefacia, etiam Monasteria & loca quibuscunque principalibus facultatibus, vnionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressionibus, aliisq; concessionibus seu Gratiis per nos, aut sedem prædictam, vel successores nostros huiusmodi, etiam motu & scientiâ similibus, aut sub quibusuis formis & expressionibus verborum etiam cum prohibitoriis, & Decretorum irritantium, ac derogatoriarum derogatoriis, & aliis quibusuis clausulis, etiam talibus, per quas huiusmodi Monasteria & loca nominatim, specificè, & expressè sub illis comprehendi viderentur, concedendis, nullatenus comprehendi, nec ad illa se extendi, nec illarum vigore per quoscunque expectantes, aut speciales, vel generales reseruationes habentes, vel habituros acceptari, aut aliquibus quacunque etiam præfulgeant dignitate: ac Monasteria & loca ipsa qualitercunque, vt præfertur, vacauerint, commiti, vel commendari, seu in Commendam, vel aliàs in titulum vel administrationem concedi posse.*

Sextò. Innocentius VIII. Breue de Anno 1489. tertio Calen-

das Maij, Ordini Cistercienſi edidit, quod incipit. *Regimini vniuerſalis Eccleſiæ.* in qua Bulla ſeu Breui, in exordio. 1. enumerantur damna ex mala adminiſtratione Commendatariorum illata. 2. In eadem Bulla ordinatur, vt Commendatarii Monaſteria Ciſtercienſia in manibus Commiſſariorum dimittant. 3. Vt conferantur Monaſteria Commendatariis, profeſſionem Regularem facere volentibus. 4. Statuitur nulla monaſteria alicui perſonæ commendari poſſe.

Omiſſis duobus prioribus punctis, ſequentia puncta bina patent ex ſequentibus verbis in eodem citato Breui expreſſis ſub tali tenore. *Nos igitur attendentes vberes fructus, quos dictus Sacer Ordo hactenus in ipſo agro militantis Eccleſiæ attulit, & propterea illius, quem præ cæteris ſemper in viſceribus geſsimus & egerimus charitatis, conſeruationi & augmento, debitè (vt tenemur) prouidere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & deliberatione matura &c.* Et infra. *Authoritate Apoſtolica tenore præſentium huius perpetuæ & irrefragabilis Cōſtitutionis Edicto, Statuimus & ordinam⁹, quòd omnes & ſinguli, ad præſens Monaſteria, Prioratus, & loca quæcunq; dicti Ordinis in Commendam obtinentes, cuiuscunque dignitatis, ſtatûs &c. infra menſem, poſtquam per Commiſſarium, ſeu Commiſſarios dicti Ordinis, fuerint requiſiti, Commendis Monaſteriorum, Prioratuum, quæ reſpectiuè in eandem Commendam obtinuerint ſeu obtinent, in manibus eorundem Commiſſariorum liberè cedere, & illa realiter & in effectu dimittere debeant & teneantur. Et ſi habitum dicti Ordinis aſſumere, ac profeſsionem Regularem per Monachos illius emitti ſolitam, ſpontè emittere & obedientiam &c. firmiter polliceri voluerint, de perſonis eorum &c. prouideatur &c.* Et infra ibidem: ex Conſilio Cardinalium proſequitur ſub talibus verbis. *Statuentes inſuper & etiam ordinantes de ſimili conſilio, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, Monaſteria, Prioratus, Beneficia, & loca dicti Ordinis cuicunque perſonæ, cuiuscunque dignitatis &c. vel conditionis fuerit, etiam per quæscunque Literas, & diſpenſationes per Nos & ſedem prædictam, vel Legatorum eiusdem, etiam cum motus proprii & certa ſcientia, & quibusuis aliis efficaciſsimis, & inſolitis clauſulis, etiam derogatoriarum*

dero-

derogatoriis, & præsentibus expreßè derogantibus hactenus, & pro tempore etiam consideratione Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum quorumcunque, & ad eorum supplicationis instantiam, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine huiusmodi concessas commendari non possunt, quodq; Religiosi dicti Ordinis literis prædictis, etiamsi quascunque sententias, Censuras, & pænas Ecclesiasticas in se continerent, parere non teneantur; possintq; Conuentus Monasteriorum locorum, Prioratuum huiusmodi, Commendis prædictis non obstantibus, ad Electiones, ac Patres Abbates, seu dicti Ordinis Commissarii ad Confirmationes liberè procedere, aliàs tamen iuxta dicti Ordinis Regularia Instituta, laudabiles cousuetudines, & Priuilegia Apostolica illi concessa; quæ, quoad præmissa illorum tenores, acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expreßis, & insertis habentes, innouamus & de nouo concedimus, ac illa perpetuò & inuiolabiliter in omnibus & per omnia obseruari volumus & mandamus. Item infra adiicitur. *Decernentes irritũ & inane, si secùs superhis à quopiã quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: ac præsentibus per quascunque Literas Apostolicas, etiam motu, & scientiâ similibus, & de Apostolicæ potestatis plenitudine pro tempore concessas ac quascunque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias, & insolitas in se continentes, derogari non posse, nisi de venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, de quo etiam clarè constet, fuerit specialiter & expreßè derogatum, & huiusmodi derogatio per trinas literas nostras, ac Romanorum Pontificum successorum nostrorum Canonicè intrantium, Abbati Monasterii Cistercii, aut Capitulo Generali huiusmodi diuersis temporibus succeßiuè præsentatas, fuerit priùs intimatum.*

Septimò. Alexandri VII. Papæ in Breui Apostolico, de Anno 1666. Die 19. Aprilis, super Reformatione Ordinis Cistercien. authenticè emanato, quod incipit. *In suprema sedis Apostolicæ*, circa Caput 64. de ordinando Abbate, notantur sequentia verba tenoris talis. *Nullus in posterum, in Abbatem Generalem Ordinis Cisterciensis, qui eundem Ordinem non sit professus, eligatur; & Electio taliter facta sit ipso Iure nulla, & sic eligentes pænam priu ationes vocis actiuæ, & paßiuæ, in perpetuum eo ipso absque aliâ de-*

clar ati

claratione incurrant. Præterea eligendus iis dotibus & virtutibus sit instructus, quas S. Benedictus in hoc Cap: & secundo Regulæ in Abbate requirit.

Octauò. Clemens IX. Papa Anno 1669. die 7. Decembris in fauorem Ordinis Cisterciensis Bullam, quæ incipit. *In sublimi sedis Apostolicæ &c.* edidit, in qua ordinatum est, vt duntaxat Professi Regulares eligantur in Abbates Monasteriorum Cisterciensium, quod demonstratur ex subiectis verbis tenoris sequentis. *Dilecti Filii Abbates dicti Ordinis in vltimo eorum Capitulo generali Cistercii nona Maÿ 1667. & aliis diebus sequentibus, celebrato, congregati, publico eiusdem Ordinis bono profuturam existimârunt, prohibitionis, & pœnarum huiusmodi extensionem, ad alios quoscunque Ordinis prædicti, Religiosos, qui personas eundem Ordinem non professas in Abbates aliorum Monasteriorum ipsius Ordinis elegerint, nobis propterea dictus Procurator generalis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere, & vt infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Procuratoris generalis desiderio, hac in re fauorabiliter annuere volentes, eumq; à quibusuis Excommunicationis suspensionis &c. absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de VV. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & Consultationibus Episcoporum & Regularium Præpositorum consilio, nè vllus in posterum, qui Ordinem supradictũ non sit expressè professus, in Abbatem cuiuscunque Monasterii eiusdem Ordinis eligatur: alioquin taliter facta Electio, sit ipso Iure nulla, & sic Eligentes pœnam priuationis vocis actiuæ & passiuæ in perpetuum, eo ipso absque alia declaratione incurrant, authoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus, pariter & interdicimus. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosq; plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & quomodocunque spectabit in futurum inuiolabiliter obseruari, sicq; in præmissis, perquoscunque Iudices Ordinarios & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane, quidquid secùs super his à quopiam quauis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Ad finem autem citatarum, & præinsertarum Bullarum, & cuiuslibet

iuslibet ipsarum, vt eò faciliùs in suo robore conseruentur, contra contrauenientes iisdem Bullis, talis pœna fulminatur, tenoris sequentis. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis, & sanctionis infringere, aut ei ausu temerario contrauenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.*

Ex Sacris Generalibus Conciliis.

Regulares personæ Monasteriis debent præfici.

PRimò ostenditur. Quia SS Concilium Lateranense Anno 1215. celebratum, Sess. 9. Canone 3. decreuit in hæc Verba. *Et quoniam ex Commendis Monasteriorum, Monasteria ipsa, tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus grauiter læduntur &c. Volumus, & sancimus, vt, cùm illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacauerint, nullo modo cuiquam possint commendari, sed de persona idonea iuxta præscriptam Constitutionem eis ita prouideatur, vt illis idonei Abbates, prout decet præfuturi sint.*

Secundò. Sacrum Concilium Tridentinum Anno 1546. & sequentibus celebratũ, sess. 25. Canone 21. exhorrescens Commendatariorũ administrationes, præcipit Monasteria vacatura Regularibus personis conferenda esse, sub huiusmodi tenore. *Cùm pleraq; Monasteria &c. ex mala eorũ, quibus commissa fuerunt administratione non leuia passa fuerint tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus detrimenta: &c. primùm quidem confidit, Sancta Synodus SS. Romanum Pontificem, pro sua pietate, & prudentia curaturum, vt iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos Conuentus habent, Regulares personæ, eiusdem Ordinis expressè professæ, & quæ gregi præire, & praeesse possint, præficiantur. Quæ verò in posterum vacabunt, nonnisi Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferantur.*

Tertiò. Idem Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 10. statuit iuxta tenorem sequentem. *Regularia beneficia in titulum Regularibus personis prouideri consueta, cùm per obitum, aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, tantùm*

illius Ordinis, vel iis, qui habitum omninò suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino, lanaq; contextam induant, conferantur.

Ex Constitutionibus Synodalibus.

Religiosi in Abbates Monasteriorum sunt eligendi.

PRimò demonstratur. Quia in Constitutionibus Prouincialibus Anno 1542, titulo de Abbatum Electione, latum est Decretum, vt sæculares personæ non eligantur in Abbates Monasteriorum: prout ex sequentibus verbis constat sub tali tenore. *Admoniti diligenter per Clerum Reuerendißimi Domini, Dominus Archiepiscopus, Episcopi, promiserũt se deinceps in Comitiis publicis, in noua statuta, libertatem Ecclesiasticã tollentia, absque consensu Synodi Prouincialis non consensuros, prout Prædecessores eorũ aliquãdo faciebant: maximè verò in statutũ nouum, contra liberam Canonicamq; Electionem Abbatũ in Monasteriis (vt scilicet soli Nobiles Monachi Abbatiis præficerentur) factum. Quod quidem statutum nouum, vt potè Regulas, & modum viuendi omnium Ordinum & Religionum eneruans, est ipso iure nullum, & statum Monachalem obligans minimè, Conditoresq; eius. nec non illi consentientes, à SS. Canonibus, & Statutis Prouincialibus, sunt excommunicati ipso facto.* Et infra. *Decreuit etiam sacra Synodus, ne de cætero sæculares & alii, in Abbates eligantur, præterquam Monachi probati & professi, secundùm singulorum Ordinum Regulares sanctiones, & antiquam consuetudinem.*

Secundò. Loco citato, Nicolaus Dziergoui⁹ Archiepiscopus Gnesnen. in Synodo Prouinciali, de Anno 1551. decreuit, his verbis sequentibus *Ille quoque grauis & antea inauditus iniuriæ ictus, Monasteriis videtur esse inflictus, ab eis qui deberent Iura, & Priuilegia ipsorum manutenere, & illibata custodire, ea tamen sæpius ab illis irritantur, & infringuntur, dum scilicet, ab eisdem in Abbatias, titulo Commendarum, vel etiam Coadiutoriarum, sæculares personæ, Regulam nunquam professæ, de facto intruduntur; reuera non Monasteriorum, neque deuotionis Causâ, sed duntaxat, vt cupiditati & ambitioni illorum satisfiat. Quare decreuit Sacra Synodus,*

vt Re-

vt Reuerendissimi Domini locorum Ordinarii, officii sui, quod tuendis Iuribus Monasticis debent, sint memores; & ipsi ab intrudendis quouis modo, & titulo in illa, sæcularibus personis abstineant, & per alios quoscunque id fieri non patiantur &c. diligenterq́; Conuentus Monasteriorum admoneant, vt ad Abbatias, aut Præposituras sic vacantes, viri pii graues, & exemplares, Regulæq; periti, ac vitæ sanctimoniâ conspicui, & ad res gerendas idonei eligantur, & promoueantur. Si verò tales Conuentus mere liberè, ac simpliciter sæcularem, in sacris tamen constitutũ, postulare mutuo consensu voluerint: talis non priùs benedicatur, nec eius Electio seu postulatio approbetur, quoad Professionem omnium Substantialium Regulæ, habitu priùs Regulari & tonsura susceptis, soleniter fecerit.

Tertiò. In eodem libro Constitutionum Prouincialium, Anno 1556. Decretum super Electione Regularium personarum celebranda latum, sequitur tale. *Ad Abbatias, & Præposituras Regulares, ad quas execrabilis quorundam sæcularium Clericorum ambitio irrumpere, timore Dei abiecto, non veretur: decreuit Sacra Synodus, vt nonnisi Regulares, & Professi, iuxta dispositionem Iuris communis, deinceps liberè, cessante quouis suorum Commissariorum, vel aliarum quarumcunque personarum metu, & coactione, eligantur.*

Quartò. Eadem Synodus Prouincialis Lib. 5. Constitut. Cap. 15. seriò præcipit, vt nonnisi Religiosi eligantur, in Prælatos Monasteriorum. Cuius Constitutionis verba hæc sequuntur. *Ius Electionis liberæ, Abbatum, Præpositorum, cæterorumq́; Prælatorum, Regularium, tam Virorum quàm Monialium, secundùm Sacros Canones, Conciliiq́; Tridentini Decreta, ac Prouincialia statuta, penitùs obseruetur, & retineatur: dentq́; operam Domini Locorum Ordinarii, eorum Regularium superiores, vt ad ea munera homines idonei, vitæ honestate, & doctrinâ clari, qui Regularem obseruantiam sint professi, vel profiteri necesse habeant, eligantur: de quorum Iuribus, & Priuilegiis, ac libertatibus, Reuerendissimi Domini Archiepiscopi, & Episcopi, S. R. Maiestatem benè informent, authoritateq́; sua efficiant, ne ex Cancellaria S. R. Maiestatis Literæ illis contrariæ cuiquam concedantur. Si verò ad falsam alicuius narrationem, importunamq́; instantiam, aliquando concessæ fuerint:*

rint: tanquam Iuri communi contraria, nullum robur habere à S. R. Maiestate decernantur. Quod si quis peruersâ cupiditate impulsus, cuiusuis potestatis prætextu in Monasteria, eorumq; bona se intruserit; is vltra pœnas sacris Canonibus sancitas, pro violatore Iuris & libertatis Ecclesiasticæ habeatur, totiusq; Cleri nomine, contra eum, S. R. Maiestatis præsidium imploretur.

Ex Statutis Regni Poloniæ.

Monachi in Abbates sunt eligendi etiam Plebeii.

PRimò probatur. Quia Sigismundus Primus Rex Poloniæ Anno 1538. hoc statuit. Cuius Statutum reperies, apud Herburtum titulo de Abbatibus fol. 3. Cuius Tenor quoad essentialia liberæ electionis hîc subiicitur. *Sigismundus. Frequentibus magnisq; petitionibus &c:* & infra sic inquit. *Statuimus, vt deinceps futuris perpetuis temporibus, nemo in Abbatem cuiuscunque Monasterii in Regno nostro, aut etiam in Præpositum eligi debeat, aut possit: nisi qui sit natione Polonus. Hâc cautione adiecta: vt si in eodem Monasterio aliquis ex nobili genere procreatus, & idoneus Monachus reperiatur, in Abbatem ante alios eligi, & recipi debeat. Vbi verò nullus nobilis idoneus, in eodem Monasterio reperietur; tunc ex alio Monasterio eiusdem Ordinis & Religionis, vir Nobilis & idoneus erit eligendus seu postulandus. In defectu autem Nobilis idonei, licitum erit & liberum, plebeium idoneum, natione Polonum, in Abbatem eligere.*

Secundò. Ibidem Sigismundus Augustus Rex Anno 1550. statuit & innouauit præinsertum statutum, vt sequentia verba ostendunt. *Vt donationes Monasteriorum conseruari possint faciliùs, renouandoq; statutum Anno 1538. conditum. Statuimus; vt nemo in Abbatem eligatur, nisi Polonici, Nobilis ex Patre & Matre, generis, & homo idoneus. Quodsi in eo Monasterio, in quo Abbatia vacabit, non reperietur Professus idoneus Nobilis, inibi assiduè & antiquitùs habitans, vt ex eadem Diœcesi, in qua est Monasterium, Nobilis idoneus status spiritualis eligatur, & postuletur in Abbatem. Cumq; sic eligetur, improfessus debebit Regulam profiteri.*

Diplo-

Diplomata Sereniſſimorum Regum Pol.

Pro eligendis Abbatibus Profeſsis S. Ciſtercienſi Ordini, collata.

PRrimum felicis memoriæ Sereniſſimi Vladislai IV. An. 1639. die 24. Iulii datũ, quod incipit. *In ſupremo Regni* &c. vbi in patenti forma Ordini Ciſtercienſi conceſſit; Cuius hæc infraſcripta verba eſſentialia ſequuntur. *Porrò alias omnes Abbatias Ordinis eiusdem Ciſtercien. nonniſi Sacerdotibus de Eccleſia, nobisq́; & Reipublicæ benemeritis; eâ conditione, vt profeſsione facta, Regulam, habitum, vitamq́; Monaſticam profiteantur, dare in poſterum volumus, idq́; hoc Reſcripto noſtro aſſecuramus, & declaramus.*

Secundum. Sereniſſimi Ioannis Caſimiri, qui Anno 1667. die 20. Ianuarii ſuo Priuilegio quod incipit. *Ab ipſo felicis inaugurationis exordio &c.* circa liberas Electiones Profeſſorum Regularium, Ordidini Ciſtercienſi liberas Electiones cauit ſub tali tenore verborum. *Præcipuè verò circa liberas Electiones, contra quarum libertatem & conſuetudinem vſu firmatam, ſi aliquid ſpeciale à nobis vel Sereniſsimis ſucceſſoribus noſtris conceſſum fuerit, pro ſubreptitio id haberi, nec licere cuiquam in poſterum à data præſentium debere absque præuia Electione ad S. ſedem pro diſpenſationibus ad capiendam poſſeſsionem recurrere ſub nullitate obtentarum & rigore pænarum contra Corteſanos Statuto Regni ſancitarum, volumus & declaramus.*

Tertium. Sereniſſimi Michaelis Regis feliciter regnantis, qui inſiſtendo iis Diplomatibus & Priuilegiis ſuorum Anteceſſorum pro pietate ſua & feruenti Zelo, quo erga S. Ordinem Ciſtercienſem ferri cognoſcitur, eadem Priuilegia, ſuo ſpeciali Diplomate, quod incipit. *Cùm in hoc felicis regiminis noſtri exordio &c.* de Anno 1669. die 29. Octobris, in omnibus punctis & clauſulis approbauit. Cuius verba ſpecialia ſequentia clarè oſtendunt in hunc modum. *Nos nihil æquiùs & noſtræ vocationi congruẽtius exiſtimantes, quàm Sacroſanctas Iuris Pontificii Ordinationes, omniaq́; alia Eccleſiaſtica Inſtituta & immunitates, non ſolum inuiolabiliter obſeruare, ſed etiam conſeruare, & vt ab omnibus obſeruentur ſpecialiter præcauere, vt luculentius pietatis noſtræ & feruentis erga Eccleſiam Dei Zeli extet argumentum præinſertas Literas in omnibus earum punctis, clauſulis, articulis, & conditionibus ac ligamentis approbandas, confirmandas &*

ratificandas esse duximus, prout quidem authoritate nostrâ Regiâ approbamus confirmamus & ratificamus præsentibus. Decernentes eas inquantum Iuri communi non repugnant, & vsus earum habetur, vim & robur perpetuæ & inuiolabilis firmitatis obtinere debere. Stat ergo, quod soli Professi Regulares eligendi sunt in Abbates Monasteriorum S. Ordinis Cisterciensis.

Quæ omnia S. Sedi Apostolicæ ac vniuersis & singulis quibus interest, pro informatione de Iuribus & Priuilegiis Ordini Cisterciensi concessis, offeruntur, cessura procul dubio ad laudem Dei Omnipotentis & B. Virginis MARIAE eiusdem Ordinis Singularis Patronæ & Aduocatæ honorem. De cuius eximio affectu erga memoratum S. Ordinem facilè confirmabit quemlibet dulcissimâ memoria Maternæ sollicitudinis ipsius innumeris exhibita vicibus, notanter verò sub Sacto regimine Ecclesiæ felicis recordationis Innocentii II. Pontificis. Cui de extinctione prætacti Ordinis cogitanti clarè apparens, teste Brito Authore, his verbis ipsius consilia composuit. *Tu Ordinem Cisterciensem, cuius ego Aduocata sum destruere conaris, sed non praualebis, & nisi citiùs de tuo malo proposito resipiscas, ego te & omnem potestatem tuam conteram.* Hoc ideo tangitur, vt vnusquisque aduertat quam insigne patrocinium habeat in cælis Sacer Cisterciensis Ordo dum ipsi deficit humanum: ac proinde ex hoc accendatur in amorem & conseruationem illius, securus pro suo deuoto affectu Apostolicam se consecuturum benedictionem, quam elargitur vnicuique S. Cisterciensi Ordini optimè affecto Eugenius III. Papa in sua deuotissimâ Bulla, in qua precatur talibus sublimes gratias cælestes, nimirum vt sit ipsis gratia & pax à Deo & Domino nostro IESV Christo, quatenus & hic fructum deuotionis & actionis bonæ percipiant, & apud Supremum Iudicem præmia æterna inueniant. Cuius Sanctissimis apprecationibus subnectit idem deuotus Ordo sua quoque humillima vota quotidie ingeminans cælis.

FIAT FIAT.